



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. An & quibus teneantur usurarij restituere usuras?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

SECTIO V.

De obligatione restituendi
usuras.

§. I.

An & quibus teneantur usurarii
restituere usuras?

Usuras restituendas esse, & quidem illis, à quibus fuerunt extortæ, vel eorum hæredibus, jure naturale probat, quod vult, ut injustè læsus restituatur, & bona illi sua, quorum dominium non amisit, solvendo usuras, reddantur. Quod si tamen nec illi, à quibus usuræ extortæ fuerunt, neque eorum hæredes supersint, & de acceptatione usurarum non constet, nisi in foro conscientie, vult Pontifex inc. cum tu §. h. t. ut in pauperes vel Ecclesias, vel alias causas pias restitutio fiat (ut omni scil. quo possunt modo, suis dominis usuræ profint, & reddantur) nisi inopia debitoris à restitutione excuset, vel hanc differre patiatur.

§. II.

An omnes usurarii restituere te-
neantur usuras, etiam hæredes
eorum?

Omnes recipientes usuras obligantur ad restitutionem, sive Clerici, sive Laici sint. c. 1. 2. §. 7. h. t. etiam Iudæi, tanquam iniqui possessores rei alienæ, aut restitutioni obnoxii, cum juris naturalis præceptum de damno alteri non dando, & rebus suis restituendis, &c.

omnes urgeat. Et probari etiam potest argu. c. Post miserabilem 12. h. t. §. e. Quanto 18. eodem. & si usurarii tempore vitæ suæ usuras non restituerunt, debent illæ restitui ab hæredibus defuncti. c. Tuam nos 9. h. t. juxta portiones suas, quas ex hereditate acceperunt; (sicut enim de aliis damnis injustè datis à defuncto, obligantur eorum hæredes, ita etiam de vitæ, in foro externo juxta confectio- nem Inventarij, in foro conscientie au- tem juxta vires hereditarij) ita ut non- nunquam etiam legatarij ex suis portio- bus legatis teneantur.

§. III.

Quinam, & quo pacto cooperantes
ad usuras exigendas vel solvendas
teneantur ad restitu-
tionem?

Quod omnes illi, qui sunt causa effi- cax ex parte mutuantis, ut usuræ exigantur, & accipiantur, ad restituti- onem, saltem secundo loco, in defectum usurarii, teneantur; qui verò ex parte mutuatarij usuras solventis se tenent, suggerendo illi subsidia v. g. ut usuras promissas solvere possit, ad restituti- onem nullam obligentur, ex cooperatio- ne efficaci injusta, vel non injusta proba- tur. Et hinc Magistratus, qui statutis suis cogunt subditos ad usuras solvendas, vel harum repetitionem & restitutionem impedi- unt, quod sub excommunicatione in Clem. uni. h. t. prohibitum est, ad restituti- onem obligantur, in defectum usurarii nolentis, vel non potentis restituere, (nisi ad cavenda majora mala permit- terent tantum usurarum solutionem, vel ex alia justa causa etiam præciperent)

Ggg gg 3

quam